JACOBI TOLLII SERMO GRATULATORIUS AD POTENTISSIMUM ET SACRATISSIMUM PRINCIPEM...


Jakob Tollius





JACOBI TOLLII
SERMO GRATVLATORIVS
AD
POTENTISSIMVM ET SACRATISSIMVM
PRINCIPEM
ARCHIDVCEM
JOSEPHVM,
QUUM
HEREDITARIVS
HVNGARIÆ REX
CORONARETVR,
ANNO M DC LXXXVII. A. D. IX. DECEMBR.





LIPSIÆ

Juxta FLORENTINVM exemplar
recudi curavere
HEREDES FRID. LANKISCH.

M DC LXXXVII.



Excellentissimo atque Generosissimo Viro

D. NICOLAO GVILIELMO BECKERS BARONI DE WALLHORN, S.C.M. A CONSILIIS, ET PROTOMEDICO, JACOBVS TOLLIVS S.

PErlustrandæ & excutiendæ pulcherrimæ Bibliothecæ Mediceæ affixus, ita toto animo beneficio Serenissimi Principis COSMI III. Magni Ducis Hetruriæ, atque ita avide utebar, fruebar, BECKERE, Vir Excellentissime ac Generosissime, ut ipse mei oblivi|scerer, oblivi|scerer & officiorum. Hinc nec suavissimis literis Tuis, nec aliorum quidquam repostum: hinc, quod excusari nullo pacto potuisset, neglecta ferme, quæ singulari Augustissimi Cæsaris erga me clementiæ debebatur, gratissimæ devotissimæque AVSTRIACÆ DOMVI mentis meæ testandæ occasio: qua nulla lætior, nulla exoptabilior offerre sese umquam poterat. Ex hac igitur animi intentione, velut e somno derepente excitatus exhorrui, perturbatusque mirifice sum, quod tam sero exporrectus essem, elapsuram videns e manibus occasionem, nisi eam fugientem festinabundus anteverterem. Properavi igitur, quantum potui, & hunc ad Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI Filium JOSEPHVM, designatum Hereditarium Hungariæ Regem, Sermonem gratulatorium raptim composui. Agnosces, Vir Excellentissime ac Generosissime, & primo quidem statim intuitu, non diu me cogitasse quæ scriberem: & incomtior ejus ac horridior stylus unius esse non integri tridui operam facile arguet. Inde & brevior est: ut quum elegantiæ nullam habeat commendationem, voluptate hanc penset brevitatis. Nil enim hoc in genere scriptionum prolixitate ingratius est, nil putidius. Ergo igitur, si & hic tenuis flosculus, e studiorum meorum hortulo properatim decerptus, dignus videbitur, qui in solemni illa florum sparsione non spernatur; ut eum, Vir Excellentissime atque Generosissime, & Augustissimo Patri, & Augusto Filio, una cum hisce literis, meis verbis offerre digneris, etiam atque etiam Te rogo. Placebit fortean mentis meæ devotio, ubi incultior illius horror displicuerit. Vale, Virorum Optime, meque, uti facis, ama. Dabam Florentiæ Anno M DC LXXXVII, Festo omnium Sanctorum.

INVICTISSIMO AC POTENTISSIMO

CÆSARI
LEOPOLDO,

P.F. ROM. IMP. SEMPER AVGVSTO TRIVMPHATORI GENTIVM BARBARARVM.



MEruerat, Auguſtiſſime atque Invictiſſime Imperator, eximia Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Veſtræ Clementia, quæ mihi Viennæ nuper agenti non Auguſtæ modo Bibliothecæ uſum benigniſſime conceſſit, ſed & e Gaza Cæſarea gemmas aliquot, ar-

gumento ſculpturæ notabiles, cera exprimere; ex illa vero, præter alia multa, ultra mille ducentos verſus ineditos D. Gregorii Nazianzeni ad editionem deſcribere, indulgentiſſime permiſit, ut Auguſtiſſimæ Majeſtati Veſtræ tota mente obſtrictiſſimus eſſem, atque devinctiſſimus. Verum admirabilis illa, qua me ad oſculum Sacræ Dexteræ admiſſum Auguſtisſima Majeſtas Veſtra proſequi dignata eſt, benivolentiæ ſignificatio, devotum antea Auguſtæ Domui reddidit devotiſſimum. Verba me hic, Invictiſſime Turcarum Triumphator, grati animi mei ſenſum explicare volentem deficiunt. Vt tamen hic pa-

teret, inſtans effecit Auguſti JOSE-
PHI, hereditarii Regis Hungariæ de-
ſignati, Coronationis ſolemnitas.
Turpe namque mihi putavi, his o-
mnium feſtis ac fauſtis vocibus ipſum
æthera percellentibus, ſolum tacere:
præſertim quum nullius exterorum
pectus penitius hujusce publicæ feli-
citatis gaudio pertentaretur. Digna-
re igitur, Indulgentiſſime Imperator,
hunc Sermonem meum eadem nunc
itidem clementia accipere, qua me in
has oras profecturum Auguſtiſſima
Majeſtas Veſtra dimittere dignata eſt.
Ita Deus Optimus Maximus Augu-
ſtisſimam Majeſtatem Veſtram, at-
que univerſam Domum Auguſtam

optato vitæ longisſimæ decurſu atque omni proporro felicitatis genere mactet beetque. Hoc toto animo voveo,

Invictiſſime atque Potentiſſime
Imperator,

Auguſtiſſimæ Majeſtatis Veſtræ

Florentiæ, cIↃ IↃc LXXXVII.
Feſto omnium Sanctorum.

humillimus ac devotiſſimus cliens

JACOBVS TOLLIVS.

POTENTISSIMO AC SACRATISSIMO

PRINCIPI ARCHIDUCI JOSEPHO, REGI HUNGARIÆ HEREDITARIO DESIGNATO.

M*Issertum credo generis humani Deum, quum Augustissimam Majestatem Vestram terris dedit, Potentissime atque Sacratissime Princeps, ut haberet Augusta Domus columen, cui ejus magnitudo tuto inniteretur: ut haberet Orbis Christianus Principem, qui una cum* PATRE *Augustissimo fortunam subditarum gentium sustentaret, confirmaretque. Imprimis autem, omnium precibus victum, Hungariæ ceterarum afflictissimæ indulsisse, uti munere ac dono suo prima frueretur. Hanc faventis cæli benignitatem quis non admiretur? quis*

non ei gratuletur inopinam illam felicitatem? Ergo & ego in hac communi omnium hominum lætitia, Potentissime atque Sacratissime Princeps, quum ad me quoque non minimus illius sensus pervenisset, audaciuscule festis aliorum vocibus meam immiscui; ea spe, fore, ut hominis exteri animi devotissimi testatio non omnino ingrata ad aures Augustissimæ Majestatis Vestræ accideret; tenuitasque sermonis soloci filo deducti solemni lætissimi hujusce diei gaudio celebritatique donaretur. Faxit Deus Optimus Maximus, ut hæc voluptas Augustæ Domui, Hungariæque, & imprimis Augustissimæ Majestati Vestræ perpetua sit, nec ullo umquam dolore mœroreve contaminetur. Ita de penitissimo pectore apprecor,

Potentissime ac Sacratissime Princeps,

Augustissimæ Majestatis Vestræ

Florentiæ, CIↃ IↃC LXXXVII
Festo omnium Sanctorum.

humillimus ac venerabundus cliens

JACOBUS TOLLIUS.

SERMO GRATULATORIUS
dictus
POTENTISSIMO PRINCIPI
ARCHIDUCI
JOSEPHO,
Quum
REX HEREDITARIUS
HUNGARIÆ
coronaretur.

* * *



Elicitas orbis, REX POTENTISSIME AC SACRATISSIME, cum fortuna Domus Austriacæ & Augustissimi Cæsaris LEOPOLDI conspirasse videtur, communibusque votis hunc a favente Numine rebus humanis diem impetrasse, qui continuatis una serie per quadriennium Paternis victoriis, & in stupendam omnibus populis altitudinem exsurgentibus, exemplare Divinæ Celsitatis fastigium imponeret. Quidquid

enim victoriarum de Barbaro, quidquid de Christiani nominis hoste triumphorum dehinc in Hungaria reportabitur, felicibus HUNGARIÆ REGIS HEREDITARII auspiciis, & obsequenti JOSEPHI Fortunæ feretur acceptum. Et gaudebit Augustissimus Pater incincta Regio diademate Filii tempora ætate etiam nunc tenera victricibus lauris redimiri, ac destinato divinitus Imperii Romani post se regimini cædibus ac strage hostium initiari. Eodem animo, quo gravi coronis Augustissimo capiti suo hanc Hungariæ detraxit, ut Tuo imponeret, serta quoque eidem atque ornamenta inerrare lætabitur triumphalia; quorum ipsi quædam quodammodo est satietas. Nec lætabitur tantum Optimus Pater ac Imperator, sed ut est pietate Maximus, inter assiduas, quas Assertori Augustæ suæ Majestatis Deo meritissimas agit grates, nova vota nuncupat, ut, quemadmodum invictus ipse bello atque armis recuperatam integram nunc universæ Hungariæ coronam, novo HEREDITARIÆ SUCCESSIONIS titulo auctam exornatamque, Sacrato Tuo capiti imponit, ita & Tu, REX AUSPICATISSIME, capta hostis barbari sede Constantinopoli, divulsam hactenus ab universo corpore nobilissimam quondam Imperii partem, eidem rursus conjunctam, eodemque perpetuo successionis jure firmatam, posteris relinquas. Hic igitur ille dies est, quo nullus lætior, nullus exoptabilior, nullus Imperio Romano, nullus Genti Austria-

cæ, nullus Regno Hungariæ magis ſalutaris illuxit. Hic ille dies eſt, qui concuſſa Imperii fundamenta ſtabilit; qui inclinantem haud ita dudum Domus Auguſtæ majeſtatem ac magnitudinem redintegrat, & in majus priſtino decus reſtituit; qui pereuntem, imo jam ferme deſperatam Regni Hungarici ſalutem ad vigorem vitamque revocat, in hoſtium perniciem occidionemque refectum robur viresque exſerturam. Hic ille dies eſt, qui protervis verbis inſultantem, qui ſtolidis viribus intumeſcentem, qui impiis minis ipſum cælum laceſſentem tyrannum tantum non pedibus Tuis ſubjicit, ut ab imbecilla ætate conculcetur, cui nec humana nec divina vel jura ſui reverentiam, vel potentia ſui metum incutere poſſe videbantur. Hujus diei fulgore velut fulmine percuſſi perduelles attoniti ſtupent, humique proſtrati incerti vitæ ſunt, incerti ſalutis, ab unica dehinc mitiſſimi LEOPOLDI, Tuæque, REX OPTIME, clementiæ ſpe pendentis. Hujus diei inexſpectata ſolemnitas callida & ſubdola inimicorum, malis artibus ad potentiam adſpirantium, conſilia disjicit, opprimit, evertit. Admiratur orbis, rapiuntur extra ſe omnes populi, gentes, nationes, & eunte per ſingulos homines Divinæ providentiæ ſenſu, quam mente capere nequeunt, inenarrabilem hanc rerum humanarum directionem converſionemque proni ſubmiſſa veneratione adorant. Habuerunt hujus ſeculi ſproxima tempora miracula complura: & intra quadraginta

annorum curriculum vidit Anglia horribili parricidio amiſſum Regem, & ejectam in exilium Regiam ſobolem, ac denuo reſtitutam. Vidit Dania obſeſſum in capite regni Fridericum Regem, civiumque fortitudine, & auxiliis meorum popularium vindicatum. Videre mei illi alienæ Majeſtatis fortunæque protectores Batavi irrumpentem in intima reipublicæ ſuæ penetralia victorem Gallum, & exitialem ambitionis ac diſſenſionis domeſticæ perniciem, velut peſtiferam nubem tempeſtatemve, divina rurſus ope remotam. Vix oculis ſuis fidere, vix animo ſibi ac mente imaginari bellax Suecia potuit, una modo non æſtate, quidquid longiſſimo bello, quidquid plurimo ſanguine in Germania ſibi & Scania partum erat, amiſſum rurſus & ereptum, ac mox iterum redditum aut recuperatum. Sed hæc miracula, REX FORTVNATISSIME, quæ recta ſui æſtimatione omnem ingenii altitudinem immenſum quantum ſuperant; hæc miracula ad obſeſſæ liberatæque VIENNÆ pericula & lætitiam, ad repoſtam Turcis cladium frequentia deſperationis vicem, ad expugnatarum urbium multitudinem, ad victoriarum ſibi ſupervenientium numerum & magnitudinem, ad Hungariæ inſperatiſſimam in unum ac priſtinum corpus redactæ gloriam, ad Auguſtiſſimi Imperatoris LEOPOLDI propugnatam cælitus auctamque Majeſtatem, & ad hanc denique auſpicatiſſimam Tuam, JOSEPHE, coronationem comparata, licet ingentis-

ſima ea fuerint, plurimis tamen partibus vincuntur. Illis namque ſingulis Gentibus aut Regibus, his Orbi terrarum ac univerſo Chriſtiano nomini conſultum eſt. Nota ſunt, ideoque nec enarranda, ſcelerata illa & abominanda conſilia, queis evocatus excitusque ſedibus ſuis Barbarus, rupto præter fas induciarum fœdere, non in regna vel provincias, ſed in ipſum potentiæ Auſtriacæ ancile, id eſt, in pignus Romani Imperii immiſſus eſt. Male ceſſerant horrendi & tam fauſto die ne nominandi quidem privatorum ſcelerum irriti furores. Ivit ulterius immanis ambitio, & ſuum jam illud, quod exſpectarat, eſſe tempus atque opportunum locum rata, ipſam inferorum ſollicitavit diritatem, ut a ſuperis repulſam rejectamque rabiem ſuam expleret. Quæ facies non infelicis Auſtriæ dicam, non Germaniæ, non Europæ, ſed univerſi fuiſſet Orbis, capta raptaque VIENNA? & quam parum abfuit, quin caperetur? Quis vultus, quæ forma, quæ ſpecies Chriſtianæ religionis victore fuiſſet barbaro, qui deleturum ſe omne de terris Chriſtianum nomen terribilibus ac profanis minis increpabat? Et erat in effreni Turca minimum, quod metuebatur, mali. Prodiſſet alia, & per omnes Orbis partes graſſatura peſtis, quæ divino ſe contineri coercerique conſilio infrendet furibunda, &, quem non eſſe Deum credit, ſentit. Longe illi ſua dextra Deus: longe illi per Europam Aſiamque orſa & ſparſa tela fraudum: longe illi crebra perjuria, & irriſa

Germanicæ fidei ſimplicitas. Rem ſibi jam factam putabat, & paratam, quam perageret, humano ſanguine redundaturam tragœdiam. Et ecce, prodit ex inopinato velut e machina in ſcenam Deus, & quas illa partes non dederat, ſuo ſibi ipſe jure ſumit. Vertitur fabulæ facies, & triſtibus læta ſuccedunt: intentatusque & jam præſens luctus inſperatis gaudiis mutatur. Et unde ille derepente averruncus ac ſoſpitator Deus? Tuæ, Tuæ illum, Sanctiſſime Imperator LEOPOLDE, evocavere preces: Tua illa efficaciſſima & vere aurea carmina, e Davidicis, non Machiavellicis, petita canticis, elicuere non e Conſtantinopoli Turcam, ſed ut Chriſtianisſimum Principem decuit, e cælo Deum, ultorem violatæ fidei, defenſorem commiſſi Tibi a ſe Imperii, depulſorem fabricatarum in ſacroſanctum caput Tuum inſidiarum, & mox, dejecto Turca, læſæ & præter omne fas attrectatæ Germaniæ futurum vindicem. Hic ille Tuus Deus, (& quis poſterorum habebit hic annalibus fidem, quum vix ipſi oculis credamus noſtris?) Tuus Te ille Deus, Cæſar Pientiſſime, exitio ab inimico deſtinatum, ab hoſte ex inopinato oppresſum, a ſubditis proditum, in ipſa, quod ajunt, acie periculi ſervavit, eripuit, vindicavit. Ille, quod nec ipſe vel votis conceperas vel ſpe præſumſeras, ambuſtas incendiis belli aquilas, & lacerata hoſtili ferro ſigna, in ipſa Budenſi defixit arce, & quod læti alicujus inſtar ſomnii videtur, Tauruno intentat. Ille, ut ipſis etiam ho-

ſtibus plena eſſet atque confeſſa cæli pro Cæſare pugnantis fides, Tuis victus precibus, ſuppliciis victus SS. Pont. Max. INNOCENTII XI, victus Venetorum; quo latius vinceres, fœderatis Venetis, non ſecus ac Majeſtati Tuæ, unum ac perpetuum conceſſit victoriarum curſum: Polonis autem in auxilii opportune lati præmium beata illa otia fecit, ut triumphos Tuos atque Venetorum intueantur, & gaudeant. Habuerunt alii, Auguſtiſſime LEOPOLDE, habebuntque Imperatorum, Regum, Principum filii accepta a Parentibus vita fatoque functis imperia, principatus, regna, exercitibus, claſſibus, divitiis firmata atque communita: ſed habet a Te etiamnunc vivo atque ſuperſtite (& faxit Deus, ut quam diutiſſime) JOSEPHVS Filius, quod cunctis exercitibus, clasſibus, divitiis longisſime anteſtat, Divinum patrocinium, & hujus pignora Tua, ſeu potius, qvæ Tuæ tribuuntur pietati, Divina miracula. Nam Tua quidem vita, Sanctiſſime IMPERATOR, ad ſeveram illam veri Numinis cultus legem efficta atque efformata, unus quaſi quidam contextus eſt miraculorum, ſicut hoc bellum triumphorum. Non capit hic tenuis & raptim deproperatus ſermo illorum magnitudinem: erit illa mihi in liberius otium, curamque exquiſitiorem, ſepoſita materia: ſed habet & illa JOSEPHVS Tuus inſtrumenta potentiæ, ſicut hæc argumenta monumêntaque pietatis. Feliciſſime Puer, (ita enim novennis ætas Tua, ut jam compellere,

poſcit) quæ Te propitia humano generi ſidera vidêre naſcentem? aut qvis erit felicitatis Tuæ modus in tantâ illius affluentia nato atque educato? Neque enim Paterna ſuffeciſſe videtur: acceſſit & Materna: accedit & Avi Materni, non minus quam Paterna admirabilis. ELEONORA Auguſta, Domus AVSTRIACÆ numeroſa prole fundatrix, niſi omnibus pretioſiore theſauris virtutum cumulo dotata fuiſſet, fortunam ſuam pro dote attuliſſe videri poſſit, celſiſſimum in terris ſortita conjugium, felix Marito LEOPOLDO, felix Patre PHILIPPO GVILIELMO, felix Principibus Fratribus ac Regia Sorore, felix Liberorum pulcherrima ſobole, ſed Te præſertim JOSEPHE majore natu Filio felix, qvem Regio nunc inſigniri diademate non ſine teſtibus ingentis & penitiſſima pectoris pertentantis gaudii lacrymis poteſt intueri. Avus ELECTOR omni undiqve beatitatis genere circumfluens, ſenecta ætate, exſtincta agnatæ familiæ progenie, ſummi poſt Cæſarem in Imperio Romano faſtigii ac dignitatis heres, hinc duobus Generis, altero Imperatore Invictiſſimo, altero Rege Potentiſſimo, inde Filio natu maximo JANO GVILIELMO in Ducatu Patrio vivo ſibi ſucceſſore, reliquis aut ſacris infulis, aut victricibus armis effulgentibus, corpore adhæc non minus atque animo vivido vegetoqve, hunc & ipſe ſolemnitatis hujus magnificentiſſimæ exoptatiſſimum diem inter luculentiſſima proſperæ fortunæ ſuæ argumenta connumerat.

Et dubitabit adhuc HVNGARIA de ſua; tanto undique novi Regis ſui felicitatis ſplendore circumdata atque circumfuſa? dubitabit illa adhuc, nec ſibi ſuisque toto pectore, toto animo, tota mente exhilarata gratulabitur? Imo vero non dubitat, REX POTENTISSIME, & totum lætisſimis acclamationibus aera percellit. Feſtæ voces ſunt, quascunque audis: hilari vultus, quoscunque intueris: erecti arcus, ſtratæ floribus, fronde, veſte viæ, accenſis ignibus & luminibus collucentes vici, decurrens in armis juventus militaris, asſidua exploſorum tormentorum tonitrua, publici gaudii indicia ſunt, quacunque ingrederis: affluentis undique gratulantium ſubditorum multitudinis concurſu ferventes plateæ, gementes ædes, templorum deficientia ſpatia, communis lætitiæ ſigna ſunt, quacunque tranſis: fauſta Populi vota, felicia Procerum verba, piæ Sacerdotum preces, exſultantis animi obteſtationes ſunt ad altaria, ad quæ coronaris. Vnus omnium felicitatis publicæ ſenſus eſt, una omnium vox, una acclamatio: Hunc eſſe diem Hungaricæ tranquillitatis, concordiæ, pacis natalem: hunc eſſe diem perniciosisſimarum diſcordiarum expulſorem, peſtiferarum atque efferatisſimarum conjurationum ac rebellionum exſtirpatorem, hoſtium omnium exterminatorem: hunc eſſe diem omnis infelicitatis, cladium, vaſtationum, cædium, malorum denique omnium optatam dudum, at nunc exhibitam ac repræſentatam divinitus

finem: hunc esse diem, quo velut de integro condita HVNGARIA exemplo cunctis esse gentibus possit, beatissima regna esse, quorum tutelæ atque imperio certus sit atque jam designatus successor. Hujus diei celebritas, REX CLEMENTISSIME, mihi una cum aliis ad Majestatis Tuæ venerationem, suscipiendaque pro salute Tua vota properanti veniam spero impetrabit, Augustas aures Tuas ab illis gratulantis populi Tui vociferationibus ad audiendam meam hominis exteri privatique sententiam paulisper avocanti. Proderit illa forsan nonnihil populo Tuo: certe ab ea mente, atque a devotissimo Majestati Tuæ & Augustissimis Parentibus animo proficiscetur. Plurima ego priscæ antiquitatis monumenta pervolvi: seculorum omnium historias cognovi: temporum nostrorum casus partim ipse vidi, partim ab aliis auditu lectuve accepi. Nec fugiunt me, quæ de rerumpublicarum formis ac vario regimine, de Principum electione successioneve, præstantissimi eruditissimique Philosophi disseruerunt atque disputaverunt. Verum omnia accurate examinanti expendentique, duo mihi a plerisque eorum aut non animadversa, aut dissimulata, aut non pro merito atque argumenti pondere videntur fuisse considerata. Etenim primum ita ferme ab omnibus hoc argumentum tractatum est, ac si in Platonis viveremus republica, nec in hac vita vitia virtutibus præpollerent atque dominarentur. Talis quippe ab illis quæsita propo-

ſitaque reſpublica eſt, qualis a Stoicis ſapiens, a Rhetoribus orator. Ideis perſtricti Platonicis non videre, quærendum non eſſe quod inveniri nequeat. Deinde nec illud viderunt, varias eſſe ac diverſas variarum gentium naturas, ingenia, indoles, mores, ſitus, commoda & inſtituta: ideoque non perite ſatis, certe ab omni vitæ uſu atque ratione alienisſime, easdem omnibus leges, unamque regiminis formam, quaſi perfectisſimam, præſcripſerunt. Illiterata, ruſtica, & ſimplex agricolarum natio ſoli cælique prius ingenium explorare ſolet, ac pro cujusque agri indole ac viribus hunc pecori paſcendo, illum ſylvæ alendæ, alium frugibus ferendis deſtinat. Jam vero nec hic ſine delectu quocunque ſemine conſeritur: illa in unumquemque ſemina ſparguntur, quibuscum & natura ſoli, & anni tempora, & aeris ac cæli habitus amice conſpirant.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina.

Par animorum, par populorum, par regnorum & rerumpublicarum ratio eſt. *Serviat*, inquiebat ille, *ſuetus regibus Oriens:* & Cappadocia datam ſibi quondam a Populo Romano libertatem, (cujus nominis amore multæ gentes tantum non inſaniunt) libertatem, inquam, ſibi conceſſam Cappadocia repudiavit, regiumque imperium prætulit. Hinc prudentisſimi Regum vel bello victas, vel matrimoniis acquiſitas, vel

hereditate relictas sibi gentes suis vivere moribus, suis uti legibus permiserunt. *Violenta nemo imperia continuit diu:* & vis naturæ rerum infertur, quum varii populi sub unum freni moderamen rediguntur. Sic Patria mea superiore seculo fida & obtemperantissima Carolo, Philippi frena excussit. Sic olim Germania, Arminio duce, Romanas leges & indictos juri dicundo conventus atroci trium legionum cæde rejecit. Ergo quæ singulis populis potissimum conveniat, quæque maxime conducat imperii forma dispicere, suprema respublicas ordinantibus lex esse debet. Non enim trabea Imperatoria, gemmis & auro gravis, aptum quibuslibet humeris amiculum est: minorem impedit, imbecilliorem premit. Dubitaverunt in initio, quum de formanda republica sua cogitarent Batavi mei, an Venetorum sapientissimam, & longo seculorum tractu atque diuturnitate probatam imperii formam sequerentur. Sed prudenter a nonnullis usu rerum judicioque præstantibus viris discussa hæc dubitatio est, non Italum Batavis ingenium esse asserentibus, non idem cælum, non eundem situm; & quæ alia id genus discrimina aliud reipublicæ genus flagitabant. Post primi Caroli triste fatum mobilis Anglia reipublicæ nomen & formam, spreto regio imperio, affectabat. Pro præconcepta libertate abjectius & turpius Cromvvellio servivit, quam ante Regibus: atque ita libertatis hujus imaginariæ affecta satietate, revocato

ab exilio altero Carolo, regio ſe rurſus regimini ſubmiſit. Fatendum eſt, nec quisquam puto adverſabitur, nil libertate melius, nil optabilius. Sed & illud fatendum atque concedendum eſt, libertatem etiam ſub juſto rege dari. Addamus & illud, quod non minus verum, & uſu tritum eſt, perire libertatem libertate: quum ſcilicet amiſſa pulcherrima ſpecie degenerat, vertitque in licentiam. Sed & gentes ſunt, quæ nec totam libertatem ferre poſſint, nec totam ſervitutem: ſunt, quæ ſervituti natæ videantur, ac damnatæ. Inter imperii formas, ſi in univerſum conſiderentur, nec diverſa reſpiciantur ſingularum gentium ingenia, proximum Divino eſt Regium, & reliquorum omnium perfectiſſimum: unde & a Deo dati Reges dicuntur. Pater, Paſtor, Caput, (quæ ab imperii ſimilitudine Regibus dantur cognomina) ille unicus optimus in familia regenda, hic in grege, tertium in corpore dari plus unico non poteſt. Sed hominum vitia, fortunæ caſus, rerum ac temporum viciſſitudines, aliud ſæpe imperii genus ſuadent, ſæpe & imperant. Videndum igitur, ubi de republica deliberatur, quid illi cum maxime, cui conſulitur, populo ex uſu ſiet. Hæc conſilii publici norma eſſe debet, hæc finis. Expertus ego ſum, REX POTENTISSIME, quum his nuperis calamitatibus Gens noſtra involuta eſſet, & conſpiratis factionum partibus, hinc libertatis multo ſanguine partæ, & ut accepta ita relinquendæ; inde boni publici, debitæque

Arausionensi Principi in avitos honores dignitatesque successionis speciosa nomina jactarentur, adeo exiguum eorum fuisse numerum, quos patriæ libertatis acrior, quam suorum commodorum aut affectuum, agitaret cura, ut confusus & indignabundus sæpe exclamarim: Ergo libertas (ut Bruto quondam visa virtus) inane nomen es. Ambitio, avaritia, partium studia, inanis gloriæ cupido, sub persona publici commodi, libertatis, legum, privilegiorum, immunitatum, consuetudinum, quæque id genus plura sunt, pulchre latent. Hac detracta, monstrosa illorum vitiorum diritas detegitur, & apparet. Ergo sapientissimum hoc fuit, imo vere sacrum Augustissimi Patris Tui consilium, quum Te, JOSEPHE, Hereditarium Regem Hungariæ imponendum esse censuit, &, ut hoc titulo a Proceribus regni agnoscereris, atque coronareris, prudentia sua pietateque pervicit. Perspecta erant acutissimi ingenii exactissimique judicii Principi gentis Hungaricæ ingenia mobilia, calida, vehementia: noverat eam levi momento cum propriis vitiis, tum fraudibus ac dolis exterorum concitatam, in suam ipsius perniciem inconsulta ruere temeritate: quæ dein tam secundis quam adversis rebus verteret in furorem. Vt Pater patriæ, ut bonus Pastor, ut optimus Rex, ac tanti corporis Caput, excitandas ingenitas eorum virtutes, erigendam animi magnitudinem, fortitudinem inflammandam esse: vitia vero, quum exstirpari omni-

no nequeant, salubri arte enervanda, &, vt tandem vel emoriantur, vel deficiant, subtrahenda iis alimenta judicabat. Credo ego, quum in sacrarium mentis suæ secederet Pientissimus Imperator, eum, quem in rebus arduis consulere semper solet, adhibuisse advocatum Deum, & hoc auctore salutare illud Hungariæ consilium cepisse. Hactenus illa ita Reges suos elegit, ut hæc ei eligendi libertas sæpe verterit in exitium. Benignissimus Cæsar ipse se amplissimo gravissimorum bellorum fructu spolians Filium, & cum volente Deo per Filium posteros, certos Hungariæ Reges nunc dat in perpetuam, si sua bona norit, felicitatem & salutem. Huc ades, amica HVNGARIA, huc ades. Audi, & agnosce Cæsarei consilii beneficium: aut, si necdum intelligis, age revolve mecum annales Tuos. Explica vitam S. Stephani, qui Te primus ab immani Scytharum feritate ad meliorem vitam, verique, quod summum beneficium fuit, Numinis cognitionem ab idolorum gentilium cultu traduxit. Quem invenis successorem? Quid eligendi libera potestas Tibi attulit commodi? Quem ille sibi destinarat successorem rejecisti, & alio suffecto felicissimum sub illo Rege statum tuum evertisti. Civilia bella, cædes, strages, vastationes, incendia, libertatis illius Tuæ fuere fructus. Sic inter Petrum & Abam variatum regnum est. Sic & Andreas successit. Quid huic illa Tua libertas præstitit, quum filium Salomonem vivo se coronari cupe-

ret? quid, nisi fraterna bella, ipsius cædem, repetitam filii fugam, & tandem in exilio mortem? Quis ille iterum sub Stephano tertio fratrum furor? Quanta contra ea intestina quies, & felicitas temporum a Bela tertio, continua liberorum fratrumve successione, adusque Carolum primum? Quanta rursus cladium & miseriarum tela, quum tribus uno tempore libera illa tua electione creatis regibus lacerata, vastataque, Venceslaum tædio tuæ inconstantiæ dissensionumque civilium, relicto regno in Bojohæmiam reverti, Othonem Bavarum captum spoliatumque imperio in exilium pelli videres? Vix vires pristinas sub Carolo, filioque ejus Ludovico receperas; repullulat iterum inquietis hujus libertatis pestilens propago discordia, & ab Italia Rex petitur, ut in ipsa mox arce Budæ jugularetur: ut Ludovici tam bene de te meriti vidua obvoluto capite in flumen præcipitaretur: ut Regina filia vinculis, carcere, contumeliis violaretur: ut procerum sanguine regnum maderet: ut hosti Turcæ via in tua viscera aperiretur, & futurarum cladium jacerentur fundamenta. Et haud diu post, ab excessu Alberti nova rursus dissidia, duoque reges Lacislai; & horum alter posthumus, & in ipsis cunis fugitivus. Poteras sub Matthia Corvino gloriari, florentius te ac validius in Europa regnum nullum esse. Bojohæmia, Lusatia, Moravia, Silesia, Austria, Stiria, Carinthia, Transylvania, Bosnia, Moldavia, Valachia, Croatia, Dalmatia, impera-


ta faciebant. Vbi jam illæ provinciæ, HVNGARIA, a Matthia tibi relictæ? quis abstulit? quis eripuit? Illa, illa tua eligendi libertas Regis, quæ tibi post paullo te ipsam eripuit, id est, Budam caput regni, & firmissima, quibus te tuebare, propugnacula. Tanti tibi constitere diversa tuorum studia, quum infeliciter amisso Rege Ludovico inter Joannem Scepusium, Scepusiique filium, & Regem Ferdinandum fluctuares. Fovit hic infelicis regni reliquias: & a succedentibus posteris qua potuisti parte servata es. Quid autem pro hac cura, quid pro hac benignitate, quid pro salute tua, & anima jam fugiente retenta, retulisti gratiarum? Sed nec infelicitati tuæ infanda paucorum de tuis scelera adscribenda sunt; & hæc ego hiantia fœde vulnera silentii malo velo obtegere, atque obligare, cum clementia ea persanet Optimi Cæsaris LEOPOLDI, & ipsarum vestigia cicatricum fortuna deleat orientis vivifico splendore Regis JOSEPHI. Jam tota tua es, tuusque Rex omnium illorum regnorum ac provinciarum, atque etiam plurium, quam amisisti, futurus heres est, futurus & Imperii. Et eo quidem felicior tu mihi videre, quam gentes ceteræ, quod quum illæ de futurorum Regum moribus sollicitæ sint, & incertæ, tu certa possis esse de tuorum clementia, bonitate, justitia, prudentia, fortitudine, temperantia, &, quæ virtutum omnium summa est, in Deum pietate. Ingenitæ illæ Genti AVSTRIACÆ virtutes sunt, & si ad

usque RVDOLPHI Habspurgici conditoris tempora recurras, & in omnium AVSTRIACORVM Principum mores inquiras, qui ab hisce virtutibus desciverit, aut unum invenies, aut neminem. At hoc invenies, eodem, quo tu, fato jactatam: iisdem, quibus tu, discordiarum malis atque cladibus vexatam afflictamque fuisse GERMANIAM, ubi ab AVGVSTA familia desciscens alios sibi Imperatores quæsivit, libertatique eligendi nimium tribuens ipsa sibi malum peperit. Sic inter Adolphum illam Nassavium, & Albertum Rudolphi filium; sic inter Alberti filium Fridericum, & Ludovicum Bavarum distractam per plures annos omni miseriarum genere noxiæ libertatis pœnas dedisse: ubi vero ad AVSTRIACOS rediit, atque his Imperium reddidit, compositum magis Germaniæ statum deprehendes, nec ullis civilibus bellis turbatum; nisi si civile nominari placet, quum subditi ad officium revocantur. Vin' ulterius, & ad prima Romani Imperii initia respicere, & ad illum Principem, qui sapientia prudentiaque regendi AVGVSTI nomen primus meruit? gratulaberis & AVGVSTO LEOPOLDO, non tibi tantum, tuisque, quod arcana quadam earundem virtutum inspiratione idem consilium ceperit. Quum enim Octavius in libera republica natus, delatum sibi post bella civilia Imperium Senatui Populoque Romano reddere, pristinamque libertatem reducere sæpius cogitaret, agitaretque; advertit animum sapien-

tiſſimus Imperator, rem fortaſſis facturum ſe multis gratam, ſed omnibus perniciosam. Neque enim jam ferre amplius libertatem Populus Romanus poterat: imo nec ſalvus eſſe, niſi unius præſidis nutu, quaſi anima & mente regeretur. Ergo, ut ne deinde in idem, e quo vix ſub ipſo emerſerat, civilium diſſenſionum barathrum revolveretur, quum maſcula prole careret, ſucceſſorem ſibi nepotum adoptionibus quæſivit, deinceps & privigni. Ita cautus ille & prudens Princeps, quid in illa in eligendo incerta animorum varietate periculi, quid in certo ac hereditario ſucceſſore concordiæ ac ſalutis eſſet, rectiſſime æſtimavit. Probavit hujusce ſalubritatem conſilii ipſe eventus rerum. Exſtincta enim in Nerone Julia familia, quid Imperium Romanum niſi præda fuit validioris? Horret animus, ac refugit ea tempora cuncta recenſere, quibus divulſum diſcerptumque tandem peſſum ivit. Invenies tamen & in his in utramque partem exempla, quibus inſtruare. Neque enim fruſtra hiſtoriæ ſcribuntur leguntur que: ſed ut inde exempla petantur ad imitationem; de præteritis facta conjectura, quia futura in incerto ſunt. Invenies igitur vivo adhuc Nerone lectum probatumque a Senatu Galbam: *qui major privato viſus, dum privatus fuit; & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.* Invenies contra Veſpaſianum patrem, qui vitam privatam minus laudabilem Princeps in melius tranſtulit. Invenies ſucceſſorem Titum filium, quo

nemo melior, (quem delicias suas orbis terrarum appellavit,) & ipsum minus secunda ante Imperium fama. Invenies adscitum ab optimo & oculatissimo Imperatore Trajano Hadrianum, hominem tam vario ingenio, ut virtutes an vitia in eo præpolluerint, incertum sit. Et ex his, HVNGARIA, atque innumeris aliis discere poteris, nec illius qui legitur, nec illius qui hereditario jure succedit, ita cognitam esse posse ac perspectam indolem, ut non mutetur honoribus: certissimam autem quietem ab hereditario certoque successore; contra, ab electione indubias discordias contentionesque civiles, & hinc interneciva bella in respublicas & imperia derivari. Quid opus est per sacram & antiquissimam Populi Judaici sub Judicibus & Regibus ire historiam? quid Assyriorum, Medorum, Græcorum annales evolvere, ut hodierna tua felicitas probetur? Age, intuere tantum, si vicinos Polonos refugis, hostem tuum: & incultum illum ferumque, atque ab omni eruditionis elegantia alienissimum barbarum, solo naturæ ductu & humanæ rationis informatione, multo te fuisse sapientiorem agnoscere cogeris. Nonne illi unica successoris Imperii cura? nonne in sævo illo & solemni fratricidio mora interponitur, donec heres sit natus familiæ Ottomannicæ propagator? Quod vero regnum nunc tempore diuturnius, quod hactenus provinciarum numero amplius, quod incrementis assiduis auctius, quod civilibus bellis minus contami-

natum, atque collabefactatum? Evertit illa familia tot regna, tot imperia: quibus artibus, nisi successoris certitudine & obedientia subditorum? Vtere & tu, HVNGARIA, his artibus; & invalesces, vigebis, florebis. Habes eccam fortunæ melioris prædem, fortunam novi Regis tui JOSEPHI; nec fortunam modo tanti Principis, sed & pulcherrimam indolem. Elucet in tanta ætatis teneritudine admirabilis pietas, a Pientissimo Patre ingenita, & e Sanctissimæ Matris uberibus hausta; elucet singularis clementia atque benignitas, & quædam quasi blandiens dulcedo morum, quæ omnes ad se allicit sibique conciliat. Elucet in hac tanta morum suavitate digna Imperio majestas: scintillat igneus ex oculis ingenii vigor: exserit in omni se actione eximia animi magnitudo: apparet in cognoscendis combibendisque scientiis eximium acumen, & in perceptis retinendis præclara ac tenacissima memoria: agnoscitur in omni sermone præstantis judicii pondus: & ad hæc animi bona accedit & illud ornamentum corporis, venustas dignitasque formæ Imperatoriæ. Lætare igitur, HVNGARIA: lætare & exsulta, sacrum hoc cæli nacta depositum. Age Deo ter optimo maximo, age LEOPOLDO Imperatori gratias gratissimas: præsentisque & futuræ felicitatis utrique debitrix, dic & Augustissimo Patri FELICITER, & Augusto Filio, quem non solus Pater, sed ipse quoque futurorum providus Deus REGEM tibi HEREDITARIVM dedit, atque commendavit.



Ad

Serenissimum & Potentissimum

ARCHIDUCEM JOSEPHUM,

nunc

REGEM HEREDITARIUM HUNGARIÆ

coronatum.

* * *

Viderat Austriacas late lætarier oras
TOLLIUS, ob fasces, Celse JOSEPHE, novos;
Quos Tibi Rex Regum tenero, quos arbiter Orbis
Romulei summus destinat ipse PATER.
Viderat & VENETOS Tibi læto assurgere plausu,
MAGNIQUE in primis tecta superba DUCIS;
Pluresque Hungarico palmas promittere regno,
Quod spolium Bessis Æmoniisque fuit.
Viderat, atque hilares quia sensit & ipse calores
Pectore, dum veteres lustrat ubique libros,
Abditaque extenebrat magnæ miracula Matris,
Et rari quicquid doctior orbis habet,
TOLLIUS, Aoniæ dudum fax splendida gentis,
Et Batava patriæ gloria magna suæ;

Nunc Tibi Pannonicos fasces, pulcherrime Regum
FlosculE, & Augusti luxque decusque PATRIS,
Gratatur tam suavisono, tamque ore rotundo,
Tullius ut nostri temporis esse queat;
Dumque id agit, fata Hungariæ non fausta revolvit,
Libera cum sceptrum Regibus ipsa daret;
Illique, Austriacis postquam est adstricta lupatis,
Falciferi spondet fulva metalla senis.
Et merito spondet non lævi pectoris augur,
Dum pensat regni secla priora tui.
Nam quid non vitii secum illa licentia traxit?
Quid non turbarum factio crebra dedit?
Faustior est longe molli gens vincta capistro,
Libera quam quæ undæ mobilis instar habet.
Sed melius TOLLI id loquitur Tulli æmula Peitho,
Dum Tibi, Flos Regum, sceptra beata vovet.
Quidnam ego, Cæsareos non postremissimus inter
Vates, & lauru tempora cinctus, agam?
Fervidus ebullit Germano in pectore sanguis,
Spiritus & prisco concitus igne furit:
Dum lego jam Batavi Sarbivica carmina FRANCI,
De Buda, Æmathios excutiente lupos:
Jam Batavi TOLLI stillantia nectare verba,
Quæ sacra sunt sceptris, Magne JOSEPHE, tuis.
Teutonicum & numquid non fas cecinisse Monarcham
Vates, Teutoniæ quos media ora tulit?
Ergo ego, dum veterem spirant præcordia Phœbum,
Æternum AVGVSTO carmen & ipse paro.

Et licet Ausonios non æquem cantibus Andes,
Facta tamen PATRIS maxima Teuto canam.
Quin versu Heroo condam LEOPOLDIDA, & illam
Deponam in fano, Mnemosyne alma, tuo.
Sed LEOPOLDI opus est mihi dextro Numine, ut altum,
Quod meditor fidus Teuto, animetur epos.
Ergo Tuum AVGVSTVM mihi fac, AVGVSTE, benignum,
Vt tanto uberius Phocidis unda fluat:
Meque Tuis pariter clemens adscribe Poetis,
Cui Vatis dudum munia SAXO dedit.
Pannonicam interea Tibi grator & ipse Coronam,
REX NOVE, post TOLLI sesama sparsa mei;
Faustumque ac longum regimen Tibi rite precatus,
Vates haud vanus fata futura cano:
CÆSAR ERIS (vero, non falso illo omine Galli)*
*** AVGVSTVS jamdum es, post ea CÆSAR ERIS.*

Præmisso
Clarissimi amicissimique
JACOBI TOLLII,
Florentinæ Bibliothecæ codices jam perlustrantis,
Sermoni gratulatorio, Lipsiæ recuso,
Elegidion hoc, devotione ac gaudio plenus,
non addere non poterat
L. JOACHIMVS FELLERVS, Cygneus,
P. L. Cæs. & Poeseos P. P. in Academia Lipsiensi,
bujusque Bibliothecarius.

* Gramondi in *dedicatione Historiæ suæ Gallicæ.*
** Joseph ab Hebraica radice יסף *addidit, auxit.*

